

numerati, et magni. « Qui enim fecerit, inquit, et sic » docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum¹. » Ergo capti sunt pisces magni numero centum quinquaginta-tres. Quem non moveat, non frustra istum numerum commemorari? Non enim vere nihil significans Dominus, aut hoc ipsum diceret: « Mittite retia; » aut pertineret ad eum ut in partem dexteram mitterentur. Significat etiam iste numerus centum quinquaginta-tres: et pertinuit ad Evangelistam dicere, quasi respexisset primam illam capturam, ubi retia disrupta schismata significaverant; quia in illa Ecclesia vitæ æternæ nulla erunt schismata, quia nulla dissensio; omnes magni, quia charitate pleni: quasi ergo illud quod primo factum est ad significanda schismata respexisset, pertinuit ad eum dicere in ista secunda captura: « Et cum tam magni essent, retia » non sunt disrupta². » Quid itaque dextera pars significaverit, dictum est, quia omnes boni. Quid magnitudo, dictum est: « Quia qui fecerit, et sic docuerit, magnus » vocabitur in regno cœlorum. » Quid etiam illud quod retia non sunt disrupta, dictum est, quia tunc non sunt schismata. Quid ergo centum quinquaginta-tres? Numerus iste non utique ipse erit sanctorum numerus. Neque enim centum quinquaginta-tres erunt sancti; cum soli illi, qui se cum mulieribus non coinquinaverunt, duodecies duodena millia commemorantur³. Sed iste numerus, tanquam arbor, a quodam semine videtur succrescere. Semen autem hujus magni numeri quidam minor numerus est, qui est decem et septem. Decem et septem faciunt centum quinquaginta-tres. Si vero computes ab uno usque ad decem et septem, et addas numeros omnes. Nam si ab uno usque ad decem et septem numeros non addas, quos commemoras totos, non erunt nisi decem et septem. Si

¹ Matth. vi, 19. — ² Joan. xxi, 11. — ³ Apoc. xiv.

autem ita numeres: unum, duo, tria; sicut unum et duo et tria faciunt sex, sex quatuor et quinque faciunt quindecim: sic pervenis usque ad decem et septem, portans in digitis centum quinquaginta-tres. Jam ergo recole, quod paulo ante commemoravi et commendavi, et vide quos, et quid significant decem et septem. Decem, lex; septem, Spiritus sanctus. Unde quid intelligimus? nisi eos futuros in Ecclesia resurrectionis æternæ, ubi schismata non erunt, ubi mors non timebitur, quia post resurrectionem futura est; eos ergo ibi futuros, et cum Domino victuros in æternum, qui legem impleverint per gratiam Spiritus sancti et Dei donum, cujus festa celebramus.

SERMO CCLXXI¹:

In die Pentecostes, V.

I. Dies nobis, fratres, gratus illuxit, quo sancta Ecclesia fidelium fulget aspectibus, fervet in cordibus. Celebramus quippe istum diem, quo Dominus Jesus Christus post resurrectionem ascensione glorificatus misit Spiritum sanctum. Sic enim scriptum est in Evangelio, cum diceret: « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat; qui credit in me, » flumina fluent de ventre ejus aquæ vivæ: » Evangelista secutus exponit, et ait: « Hoc autem dicebat de Spiritu; » quem accepturi erant hi qui in eum fuerant credituri. » Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum » fuerat glorificatus². » Restabat ergo ut clarificato Jesu,

¹ Alias de Tempore 187. — ² Joan. vii, 37-39.

cum resurrexit a mortuis et ascendit ad cœlos, jam daretur Spiritus sanctus, ab eo missus, a quo promissus: sicut et factum est. Quadraginta enim Dominus post resurrectionem diebus cum Discipulis suis conversatus, ascendit in cœlum, et die quinquagesimo, quem hodie celebramus, misit Spiritum sanctum, sicut scriptum est; quia « Factus » est subito sonus de cœlo, quasi ferretur flatus vehemens, » et visæ sunt illis linguæ divisæ sicut ignis, qui insedit » super unumquemque; et cœperunt linguis omnibus loqui, quomodo Spiritus dabat eis pronuntiare¹. » Flatus ille a carnali palea corda mundabat; ignis ille fœnum veteris concupiscentiæ consumebat; linguæ illæ quibus loquebantur a Spiritu sancto impleti per omnium gentium linguas futuram Ecclesiam præsignabant. Sicut enim post diluvium superba impietas hominum turrim contra Dominum ædificavit excelsam², quando per linguas diversas dividi meruit genus humanum, ut unaquæque gens lingua propria loqueretur, ne ab aliis intelligeretur: sic humilis fidelium pietas earum linguarum diversitatem Ecclesiæ contulit unitati; ut quod discordia dissipaverat, colligeret charitas, et humani generis tanquam unius corporis membra dispersa ad unum caput Christum compaginata redigerentur, et in sancti corporis unitatem dilectionis igne conflarentur. Ab hoc itaque dono Spiritus sancti prorsus alieni sunt, qui oderunt gratiam pacis, qui societatem non retinent unitatis. Licet enim etiam ipsi hodie solemniter congregentur, licet istas audiant lectiones, quibus Spiritus sanctus est promissus et missus: ad iudicium audiunt, non ad præmium. Quid enim eis prodest percipere auribus, quod cordibus respuunt; et ejus diem celebrare, cujus lumen oderunt? Vos autem, fratres mei, membra corporis Christi, germina unitatis, filii pacis, hunc

¹ Act. ii, 2. — ² Gen. xi, 7.

diem agite læti, celebrate securi. Hoc enim in vobis impletur, quod illis diebus quando venit Spiritus sanctus, præsignabatur. Quia sicut tunc qui Spiritum sanctum percipiebat, etiam unus homo linguis omnibus loquebatur: sic et nunc per omnes gentes omnibus linguis ipsa unitas loquitur, in qua constituti Spiritum sanctum habetis, qui a Christi Ecclesia loquente omnibus linguis, nullo schismate dissidetis.

SERMO CCLXXII¹.

In die Pentecostes, postremus.

Ad Infantes ante altare de Sacramento.

I. Hoc quod videtis in altari Dei, etiam transacta nocte vidistis; sed quid esset, quid sibi vellet, quam magnæ rei sacramentum contineret, nondum audistis. Quod ergo videtis, panis est et calix; quod vobis etiam oculi vestri renuntiant: quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis Christi. Breviter quidem hoc dictum est, quod fidei forte sufficiat: sed fides instructionem desiderat. Dicit enim Propheta: « Nisi credideritis, non intelligetis². » Potest enim modo dicere mihi: Præcepisti ut credamus, expone ut intelligamus. Potest enim in animo cujusquam cogitatio talis suboriri: Dominus noster Jesus Christus, novimus unde accepit

¹ Alias xvi, ex Vignerianis. — ² Isaï. vii, 2.

carnem, de virgine Maria. Infans lactatus est, nutritus est, crevit, ad juvenilem ætatem perductus est, (a Judæis persecutionem passus est, ligno suspensus est,) in ligno interfectus est, de ligno depositus est, sepultus est, tertia die resurrexit, quo die voluit, in cœlum ascendit; illuc levavit corpus suum; inde est venturus ut iudicet vivos et mortuos, ibi est modo sedens ad dexteram Patris: quomodo est panis corpus ejus? et calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis ejus? Ista, fratres, ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritalem. Corpus ergo Christi si vis intelligere, Apostolum audi dicentem fidelibus: « Vos autem estis corpus Christi et membra¹. » Si ergo vos estis corpus Christi et membra, mysterium vestrum in mensa dominica positum est: mysterium vestrum accipitis. Ad id quod estis: Amen respondetis, et respondendo subscribitis. Audis enim: Corpus Christi; et respondes: Amen. Esto membrum corporis Christi, ut verum sit Amen. Quare ergo in pane? Nihil hic de nostro afferamus, ipsum Apostolum identidem audiamus, cui cum de isto Sacramento loqueretur, ait: « Unus panis, unum corpus multi » sumus²; » intelligite et gaudete; unitas, veritas, pietas, charitas. « Unus panis: » quis est iste unus panis? « Unum » corpus multi. » Recolite quia panis non fit de uno grano, sed de multis. Quando exorcizabamini, quasi molebamini. Quando baptizati estis, quasi conspersi estis. Quando Spiritus sancti ignem accepistis, quasi cocti estis. Estote quod videtis, et accipite quod estis. Hoc Apostolus de pane dixit. Jam de calice quid intelligeremus, etiam non dictum, satis ostendit. Sicut enim ut sit species visibilis panis, multa grana in unum consperguntur, tanquam illud fiat,

¹ 1 Cor. xii, 27. — ² Id. x, 17.

quod de fidelibus ait Scriptura sancta: « Erat illis anima » una et cor unum in Deum¹: » sic et de vino. Fratres, recolite unde fit vinum. Grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in unitate confunditur. Ita et Dominus Christus nos significavit, nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis et unitatis nostræ in sua mensa consecravit. Qui accipit mysterium unitatis, et non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. Conversi ad Dominum, etc.

¹ Act. iv, 32.

CLASSIS III.

SERMONES DE SANCTIS.

SERMO CCLXXII.

*In Natali martyrum Fructuosi episcopi, Augustini et
Eulogii diaconorum.*

I. Dixit Jesus Martyres suos non solum instruit
præcepto, sed et firmavit exemplo. Ut enim quod sequerentur
haberent passuri, prior ille passus est pro eis: ille

et alius de Diversis locis. — 1. Fructuosus in Hispania, tempore Galieni,
Amiliani et Balisæ Cæs. passus 304, die 21 Januarii, feria quarta. In hunc
21 Januarii diem prædicta Gratulibus habet quarta feria anno Christi 259
Passionis eorum acta, inque ipse Martyrum responsa que hic refert Augustinus,
reperies apud Suetoniu et Diodoridum. Serm. hunc citat Florus ad 2 Cor. ii.